

SI PIGNUS PIGNORI DATUM SIT.

8.24.1

*Imp. Gordianus A. Lamponi.*

Etiam id quod pignori obligatum est a creditore pignori obstringi posse iam dudum placuit, scilicet ut sequenti creditori utilis actio detur tandiuque eum is qui ius repraesentat tueatur, quamdiu in causa pignoris manet eius qui dedit.

1 ¶ Sed si vos usum fructum possessionis tantummodo pignori dedistis, isque qui accepit alii eam possessionem, cuius usum fructum nexum habebat, sine vestra voluntate pigneravit, creditor eius in id, quo pignoris vinculum non constitit, distrahens dominio vos privare nequivit.

2 ¶ Quod si non fuit vestro creditori usus fructus, sed ipsa possessio pignerata, et ante exsolutam a domino pecuniam creditor secundus pignus acceptum vendidit, non posse venditionem post soluta pecunia rescindi divorum principum placitis continetur.

*PP. id. Sept. Pio et Pontiano cons.*

[a. 238]

8.24.2

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Gemello.*

Si creditor possessionem, quae a parentibus tuis pignoris iure fuerat obligata, non vendidit, sed alii creditori pignori dedit, examinata fide veri poteris eam soluto eo, quod ex hac causa creditori debetur, intercessu praesidis provinciae recuperare.

*PP. XIII k. Ian. ipsis IIII et III AA. cons.*

[a. 290]